BONA VERBA AC VOTA,
AD
SACRA CONNUBIALIA
VIRI REVERENDI AC CLARISSIMI,

DN. CHRISTOPHORI SCHULTETI, S.S.

Theol. Doctoris, Ecclesiæque ad D. Jacobi Pastoris dignissimi, SPONSI
&
Lectissimæ, Pudicissimæque Virginis,

ELISABETHÆ,

Viri Reverendi & Clarissimi,
DN. M. PAULI SCHERTZII, p.m. ejusdem Ecclesiæ antehac Pastoris vigilantissimi, relictæ filiæ SPONSÆ,

XV. CALAND. JULII,
Anno CIↃ IↃ CXXV.
celebranda.

STETINI,
Literis GEORGII GOETSCHII.

I.

QUandò legitimo jungis tibi fœdere Nuptã,
Et fidam thalami sociã, Clarißime Doctor
Exemplo ecce tuo tibi displicuisse papatus
Dogmata falsa probas, prohibentia lege severâ, Innocens II. Pontifex decretali. part. 1, distinct. 28 c. Decernimus. Cõcil: Tridentinũ Sesśione 8. Canone 9.
Ne fiat verbi divini præco maritus.
Esse etenim carnale opus hoc, quod dedecet illas
Personas omnes, quæ spiritualia tractant;
Abstrahere à precibus, nimiumq; involvere curis
Terrenis, ita dicunt, scribunt & profitentur
Romulei fratres: Verum tu ostendis apertè,
Nobile, Sponse, decus clarorum Theologorum,
Quod benè conveniant & in una sede morentur,
Esse Sacerdotem & vigili proponere curâ
Dogmata salvifica fidei, præceptaq; vitæ
Æternæ, porrò uxorem quoq; ducere castam,
Mos fuit hic olim Patriarchis atq; Prophetis,
Qui populum docuêre oracula sancta Jehovæ,
Et vixêre simul sociali in fœdere lecti.
Sic Evangelij primævi tempore CHristi Greg: Nazianzenus, Polycrates Ephesinorum Episcopus, Chæremon Episcopus, Nili, Hilarius &c,
Præcones non detrectârunt gaudia tædæ,
Excepto Johanne & Paulo: qui tamen omnes,
Veri ut Presbyteri, calefacti numinis igne,
Præluxere pijs. Istorum exempla secuti
Sunt alij Patres, Doctores iustitiæq;.
O igitur vanum decretum, humanaq; jussa,
Et Satanæ mendax doctrina, maliq; Papatus,
Quæ Clericos à conjugijs excludit & arcet. 1, Tim. 4. v. 1.

Quarè

Quarè præco DEI verbi, pastorq; fidelis
Genes. c. 2. v. Nil dubitat gratum esse DEO, quem sanxit is ipse
18. & 24. Firmavitq; statum: hinc dum ducit ritè puellam,
Quæ studiosa DEI, & morum studiosa bonorum,
Tunc quoq; Zelotypus manet, inflammatus ab igne
Ætherei flatus, agit hoc studioq; virili,
Ut sibi commissum vigilantèr pascat ovile,
2. Corinth. Virginem & exhibeat CHRISTO castámq; piamq;.
c. 11. v. 1. & 2. Non apud illum adeò præpollet gloria carnis,
Non adeò stringunt illum præsentia mundi
Gaudia, ut officii mandati oblivia sumat;
Ast quæ præ reliquis Domini sunt, curat agitq;,
Posteà conjugii peragit quæ jura requirunt.
Entheus est illi vigor & cœlestis origo,
Undè amor iste venit, qui spiritualia tractat:
Ast huic fons & origo naturalis ὄρεξις
Est igni licito, qui conjugialia curat.
Hunc DEUS Omnipotens totius conditor orbis,
Exemplo volucrum, pecorum, pariterq; ferarum,
Humano generi ac mortalibus indidit altè.
Et dubio procul hi fines causaq; fuerunt.
Heb. c. 6. 22. 1. Nempè ut ab interitu species serventur ubiq;,
Gen. c. 8. 9. Et propagando possint producere secla:
Ephes. c. 5. 2. Coniugum & ut sit amor divini testis amoris,
30. 31. Quo nos in Nato sibi copulat Æthereus Rex,
Ephes. c. 1. Et sacrum flamen largitur pignus amoris.
v. 14.
1. Cor. 7. v. 2. 3. Ut nec in illicitos se fœda libido furores
Præcipitet, violetq; DEI præcepta verenda.
Dum quoq; concessas tædas, sanctosq; hymenæos,
Excellens Doctor, sacrato & codice clare
Quæris, consertemq; thori vitaq; fidelem,
Ecce iterum præbes exemplum imitabile cuivis,

Quod

Quod non sit consultum homini traducere vitam Gen.c.2.v.18
Absq; domus fida quadam dulciq; ministra,
Hoc ærumnoso præsertim tempore mundi,
Quod nos exercet sat duris undiq; fatis.
Fit levius quod onus duo, quàm tantummodò portat
Vnus, nec justo gravius fit, nec nimis ingens,
In primis si conjunctis duo viribus instant. Palingenius
Hinc cum decumbis morbo detentus iniquo, in Leone Zo-
Hæc tibi succurret, hæc & tua damna levabit. diaci vitæ
Nunquid cognatus, vel frater, nunquid amicus?
Non certè, te deseret atq; dabit tibi terga.
Ast uxor patrem, matrem, propriosq; penates
Deserit, ut maneat tecum noctesq; diesq;.
Si te debilitat morbus vel grandior ætas,
Fatur & hortatur, solatur & auxiliatur,
Subvenit, assistit, vigilat, vigilando ministrat.
Sed forsan nobis ita quidam occurrere posset:
Hinc atq; hinc pestis dominatur mœnia circum,
Quæ nos esse DEI totos cogitq; monetq;,
Deliciasq; thori jubet intermittere planè.
Audi, Conjugium castisq; piisq; maritis
Non remora est, ut non possint incumbere votis, 1.Cor.7.v.5.
Et crebris precibus, Dominoq; DEOq; vacare, 2.Sam.11.v.11.
Hinc illi cum nobis, nos cum illisq; vicissim
Thura precum devotâ mente litare valemus Confer Nu-
Cœlesti patri per Gnatum Patris JESVM, meror. c.16.
(Extra quem non ulla salus speranda nec ulla 47. & Apoc.
Esse potest accepta DEO, nisi Filius, ara,) c.8.3.4.
Ne cœtum ulterius contagio fœda suorum
Inficiat, nec dira lues infesta sit urbi.
Jlle etenim bonitate suâ tàm parte sinistrâ
Quam dextrâ strages inter morientium & inter Psl.91.v.4.5.

Pestiferi occultè volitantia tela veneni
Incolumes poterit nos conservare sub alis,
Ceu pullos gallina, manuq; potente tueri,
Et nos in mediis tutos præstare periclis.
Quarè quod restat, Doctor venerabilis, addo
Et votum, thalamoq; tuo felicia quæq;
Psalm. 128. *Comprecor, atq; opto sic imo ex pectore vobis:*
Conjugium faustum sit, & omni parte beatum,
Quod semper maneat dives benedictio CHristi:
Fœcundum fiat generosâ prole cubile,
Quæ genium patris referat, matrisq; figuram.
Vivite, transigite optatum feliciter ævum;
Apocal. c. 19. v. 8. *Et cum summa ferent ambobus fata quietem,*
Vos DEVS æternus tandem deducat ad Agni
Cœlestes thalamos, magniq; palatia Regis.

τῆς εὐφημείας ἕνεκα
deproperabat

LAURENTIUS EICHSTADIUS, Philos: & Medicinæ D. ac Physicus Stetinensis.

II.

STetinum *eximii Pastoris munera primum*
Fert tibi: mox summos Doctoris pulpita Jenæ
Attribuunt titulos: nunc dat Primslavia *Sponsam.*
Hæc etenim propriam sibi Patria vendicat: illam
Hæc genuit, teneramq; ad nos (benè!) postea misit.
Hos ergo, SCHULTETE, quibus spectaris, Honores
En grator; gratorq; quibus lætaris, Amores.

Steti-

Stetinumq; bonæ faciens exordia sortis,
Compleat hanc, precor, & claudendo ducat in orbem;
Nempe beet pulchrâ te prole, domumq́ secundet.

Meriti hon. & faustæ congratulat. ergò f.

M. Heinricus Kielmannus, Ducal, Pædagogij Stet. ConR.

VII.

A Quo cuncta fluunt bona, ab ipso mitto salutem
Corporis, ac animæ, Sponse, Ego, Spōsa, DEo.
Ignotus quamvis TIBI sim jam nomine, Sponse;
Attamen, audito nomine, notus ero.
Tu dabis audaci veniam, quòd versibus hisce
TE venio Tantum sollicitare virum.
Stetinum Patria est mihi: nam sum natus in illâ
A genitore pio, tum genitrice piâ.
A pueris informavit natale solum me
Artibus ingenuis, in studijsq; pijs.
Credidit ecce DEUS mihi nam Indigno sua sancta
Dogmata; quæ purè, teste DEO, docui.
Jam propter Christum, & Christi verbum exulor. Ergo
Me decet, ut patiens simq; crucemq; feram.
Christus aget curam, nam certo (credo) suorum
Tempore, tum nunquam deseret ille suos.
Exul in exilio à multis contemnitur: Exul
A paucis curæ creditur esse DEO.
Sed qui scripturam sacram scrutatur, ab omni
Exulis, inveniet, sistere parte DEUM.
Hoc Tu Doctor ages insignis, Sponse, favore
Me, similesq; mei, suscipe, quæso, tuo.

Te

Te DEUS omnipotens largè benedicet ab alto,
Atq; tuam costam prole replebit, erit.
Conjugium hocce tuum benedicat Christus Iesus
Auxilio plenus, consilioq; potens.
Hujus nam sancti est Deus ordinis autor & auctor
Ille rogandus erit; quod dabit, ipsus habet.
Invitandus erit Christus, venietq; vocatus,
Intrabit, multum ac afferet ille boni.
O felix hominum! Christum qui invitat ad omne
Incœptum sanctum. Sentiet ille DEUM.
Hunc precor ex animo; curet vos tempus in omne
Conjugibus vobis adsit ope atq; novis.
Alme pater superûm, cœli terræq; creator;
Christe DEUS; tum TU Pnevma venito sacrum,
Vos tres personæ; subsistens sed DEUS unus
Quo sine nil fieri ritè, probèq; potest.
Schulteti cœptum Doctoris tu Trias alma
Aspirato pium, tumq; juvato benè
Conjugiumq; novum inflammato in amore perenni
Ut Sponsus, Sponsa & sint in amore pares.
His à conjugibus depellito dæmonis astum
Ne dæmon fortis jus reperire queat.
Angelico hos ambos defende tuo agmine semper
Annos da multos vivat uterq; DEUS.
Et videat prolem numerosam sponsaq;, sponsus,
Horum stirps crescat flore, rigore bono.
Quod nisi Tu dederis, nisi Tu benedixeris illos,
Te sine nemo dabit, nec benedicet eos.
A te descendunt solo bona plurima vitæ
Auxiliumq; venit. Ceu sacra scripta probant.
Te precibus castis accedit Sponsaq;, Sponsus,
Sancte DEUS facili percipito aure preces.

O DEVS

O DEUS exaudi me ſponſum: Tu miſerere,
Oro, mei; ac coſtæ curam age, quæſo, meæ.
Illa mihi ſemper maneat, ſit fida marita
Mecum Te timeat, diſcat & ante Deum.
Audi me Sponſam DEUS, & rege, quæſo, maritum
Huncce meum, ſemper quò me in amore habeat.
Sit nobis animus concors, concordia membra
Connexa; à nobis ſint procul ira bilis.
In cruce nos fortes, patientes effice utrumq;
Rebus & in lætis cornua nullus alat.
Poſt hanc mortalem, da nobis gaudia vitam
Cœlica, quæ Sponſus Sponſaq; corde petunt.
Hoc fac Sancte DEUS, fortis DEVS, immortalis
Ob ſanctum nomen. Qui benedictus eris.
Autor concludit. Vos omnes Vivite læti;
Eſte DEI memores. Sponſeq; Sponſa vale.

Ioachimus Belicius Stetino Pomeranus,
Paſtor Evangelicus, jam Exul.

IV.

FATA ferunt, fieri quæcunq; videmus ubiq;
In candido Bonorum quôq; circulô.
Exemplo es nobis pulchro, celeberrime Doctor,
Heliconis & Sionis Antiſtes ſacer!
Veniſti huc FATO Tutorum voce vocatus:
Audita concio elegans FATO tibi.
Factus es hinc FATO Scherzl Succeſſor amati,
Qui morte raptus ceſſerat FATO Tibi.

Tu dens quippe recens FATAliter ille fuisti,
Quem somniabat ægrotus sibi crescere.
Ad Viduam es FATO simul introductus honestam,
Quam Schertzius reliquit heic demortuus
Illorum fieres etiam genuinus ut Hæres,
Quæ Schertzius post FATA liquerat Suis.
Hinc SchertzI es FATO in Gnatam successus amore,
Quam comparas sacri tibi comparem tori.
Perbenè succedant FATO, quæ FATA tulerunt
Vobis, & allatura porrò FATA sunt.
Præcedente fide FATUM post FATAq; Vobis
Concedat aptam in astricô sedem polô.

Fausti ominis ergò gratulabundus
f.
M. Martinus Bambamius Poëta L. C. &
Scb. Sedin Sen: ConR. Sponsæ cognatus.

V.

QUæ Præsul Latius dolosa sanxit
Olim dogmata mente pertinaci,
Sacratos hymenëjos ad aras
Annisus prohibere mystagogis;
Hæc Clarissime mystagoge CHRISTI,
ConnubI, Venerisq; Candidate,
Pollens dexteriore mentis usu,
CHRISTI jussa simul tenens ad unguem,
Faustis auspicijs DEO & favente,
Convellisq; polaris ense verbi:

Exemplo

Exemploq; novo tori jugalis
Nunc Papalia SPONSE læte rides.
Risus hicce tibi, tuæq; prosit,
Faustis auspicijs, bonis & annis:
Et, quæ dona manent DEUM timentes,
Vos summa DEUS è Sionis arce
Dignetur benedictione largâ,
Vestram & prole domum bonâ fovere,
Mensam cingere filijs abundè
Rectè dispositis; velut colonus
Exultans oleæ videt novellos:
Cernatis Solymæ ut decus beatum,
Cum natis venientium nepotum,
Et pacem super Israël perennem.

Debiti honoris & Congratulationis
ergò fecit
Antonius VValter Scholæ
Stetin. Sen: SubRector.

VI.

DIALOGUS NUPTIALIS
desumptus & verbis sacris
Non est bonum, Hominem esse SOLUM
Ad
SPONSUS ex SPONSAM
applicatis

SPONSUS.

COnjugium non vult concedere turba maligna
Pontificis, Romæ residentis, falsa docentis,

Pastori Ecclesiæ, sed quid vetat, illud ut absit?
Vox divina sonat, major quæ gente maligna;
Utile non certè est, Hominem si vivere solum
Permitto. *Quare non curo dogma Papistæ.*
Res alia est curanda mihi. Quæ quæso sit illa?
Virginis Assensus, *Sponsam quam dixero charam,*
Concedente mihi divinô Numine eandem
Eligo præ reliquis unam, de stemmate Schertzi
Natam, cui cogor blandum suadere suâvi
Conjugium jam colloquiô; quia Virgo tenella.
Anne bonum mihi Pastori, *Castissima Virgo,*
Vivere me solum? *Quid suades, Casta Puella?*
Sum solus, vivo solus, solus mea curo:
Anne bonum? *Non est. Præsta mihi dulce levamen.*

Sponsa.

Virgo ego, tu vir es; Discens, tu Doctor haberis;
Sumq; ovis; at Pastor tu dignus noster amaris.
Sed quid virgo viro; quia virgo tenella puella:
Et quid Doctori Discens, indocta puella:
Pastori quid ovis; namq; errans sæpè puella:
Svadebit? Blandum tibi vix suadere valebo
Conjugium.

Sponsus.

Hoc equidem verum: sed HOMO, Patre Matreq; natus
Humanâ, tu sicut HOMO. Mortalis uterq;
Ergò HOMINI svadebit HOMO Castissima virgo,
Anne bonum, *quæro ex te, Casta puella secundò,*

Vivere

Vivere me ſolum? *Non præſta dulce levamen*
Sum ſolus, vivo ſolus, ſolus mea curo.

Sponſa.

Te ſolum *dicis*, ſolum, *Clariſſime Doctor*
Vivere *te clamas. Quid? ſi contraria monſtro.*
Multarum vir tædarum tu diceris aptè;
Triplex cùm Conjux tibi ſit. Tu ſiccine ſolus?
Mirum, quòd quartam, in vivis remanentibus illis,
Appetis, & cupidè tibi vis adjungere ſponſam.

Sponſus.

Miror reſponſum; cùm cœlebs. Nuncius at quis
Hæc retulit! Triplici de Conjuge nil mihi conſtat.

Sponſa.

Nil conſtat? Nobis triplex notiſſima Conjux.
Nam Sophiam dicunt unam: ſed Theiologia
Altera dicta fuit, divinô germine nata;
Tertia Jehovæ perſancta Eccleſia, florens
Stetini. Solùm ſic ſolus non tua curas.

Sponſus.

O VIRGO SCHERTZIANA, tibi poſt Nomen & Omen!
Hæc tria ſi Conjux, certè non SOLUS habebor.
Sed Cognata, vides, non hæc Pugnantia dici.
Solus *adhuc maneo;* Solum *tibi junge ſodalem*
Sicut enim triplex ea Conjux ritè dicata,

Connubioq; piè stabili mihi juncta decenti
Pompâ: sic Soli mihi *te, Castissima Virgo,*
Connubio jungas, Divum Pater atq; Hominum Rex
Hoc poscit, mandat, quoniam non expedit ulli
Ut vivat solus, solum solus sua curet.

Sponsa.

Sic est, Vir celebris. Quare me do tibi victam;
Et Soli Solam *me junguam:* En *dextra Fidesq;!*
Solus cum Sola.

VOTUM.

Summe DEUS, quos jam conjungis amore fideli,
Hoc fac multiplices prolè, beaq; DEUS,

Singularis Amicitiæ ergò
F.
M. Johan: Lehmannus, de Prentzloâ
P. L. Cæs.

VII.

M*Agnus Alexander* satus alta è stirpe *Philippi,*
Quem super astra poli splendida facta vehunt.
Proh quanto legit fervore Poëmata HOMERI,
Quæ voluit cunctis antefereuda libris!

Quan-

Quando dedit placidam per membra ſopore quietem,
Pulvinar capitis doctus Homerus erat.
Pixis ubi inſignis gemmis auroq; reperta
Dum de Dario digna trophæa tulit.
Motus amore operis tepidi, citò farier infit
Accipe cuſtodem dulcis HOMERE tuum.
In tanto dictum Pellæus habebat honore,
Troja quia memorat bella, monarcha, librum.
Sed tibi præ reliquis Doctor SCHULTETE libellis,
BIBLIA delicium ſacra fuêre merum.
Sedulus hæc verſans noctesq; diesq;, probaſti
BIBLIA chara tibi, BIBLIA manna tibi.
Nec ſaltem vario quæ errore ſcatere videtur
Verſio ſufficiens ſola *Latina* fuit.
Inſuper *Hebræos fontes* tibi cura legendi
Maxima quod fuerit, dogmata multa probant.
Queîs ſine Theologum, verbi myſteria, ſenſu
Immoto, minimè poſſe tenere patet.
Nam pura ut primis hauritur fontibus unda,
Sic juvat *Hebræis* Biblia ſcire tonis.
Qui ſunt linguarum mater, dux, primaq; radix,
Ex qua cunctæ aliæ non aliundè fluunt.

Doctus

Doctus ad hunc librum planè sordebit HOMERUS,
sint licet eximio carmina scripta stilo.
Ergò quater felix Doctor Reverende putandus,
BIBLIA præ reliquis quod meditare libris.
Unde quoq; hoc studiū magnis præsente rependit
Anno muneribus, gratia larga Dei.
Gratia lerga Dei spartam concessit honestam,
Semine dum verbi pascere jussit oves.
Addidit & vitæ sociam, solatia blanda,
Quæ ferat in sparta si qua futura, malis.
Quæ virtute gravis præstanti corpore nympha
Nunc tecum thalami fœdera casta subit.
PAPA quidem Latia residens super urbe *sacerdos*
Uxoratus, ait, *littera longa fiet.*
Littera longa fiet Romanus PAPA, cohorsq;
Rasa, sacri temnens jura marita tori.
Tu *sponse* à collo *sponsæ pendebis* amatæ,
Dans capiensq; simul basia læta tibi.
PAULI jussa sequens, eris una uxore maritus,
Qui propriæ domui ritè præesse queat.
Qui natos domini doceat mandata timere,
Ut superent Dia relligione pares.

Ergo

Ergo quos nacti vobis ego grator honores,
Inceptis vestris plurima fausta vovens.
Vitis ut uvarum decoratur pondere multo,
Sic ornet vestram garrula turba domum.

Faustæ acclamationis ergò
scripsit
M. Martinus Bolduanus Stolpensis
S. S. Theol. Studiosus.

VIII.

ÆTernus orbis arbiter [protervia
Quem flexuosa subdolè non decipit]
Nuper dedit curæ tuæ, Reverende Vir,
Sponsam, torum quam Christus unus unicam
Deliberavit in suum deducere,
Redolenti ut imbuas (probèq;) chrismate
Eam, simulq; comptulam fideliter
Reddas, domumq; benè decoram deferas.
Jam blandulam viraginem, quæ virginum
Honoris & decoris haut vulgaris est
Exemplar, & modestiæ dium decus
Sibi parare conscia, & committere
Fiduciam Christo suam non nescia est,
Ad dulce collocat latus tuum DEUS.
E millibus lectam tui in consortium
Lecti secundo sidere hanc accommodas,

Idem quod ordo dirigit DEI sacer,
Cui grande perperam obloqui piaculum est.
Paranymphus atq; sic DEI nympham regis,
Neonymphus atq; jam tibi nympham capis.
Negotijs sic in DEI Paranymphus es,
Negotijs at in tuis Neonymphus es:
Negotijs & in tuis Paranymphus, &
DEUS in suis negotijs Neonymphus est.
Operam sibi fidentibus Neonymphus hic
Sic mutuam præstat suam: Nec detrahet
Vobis futura quæ sciet salubria.
Nunc itaq; properat populus omnis munere
Fungatur ut vestras ad aras maximo.
Sed ego expedito quo litabo munere?
Zachariæ, œstro perciti dio viri,
Ex ore promam vota fortunantia.
DEUS suo cum Filio, qui desuper
Est ortus ex alto, Sacerq; Spiritus
Juxta suæ promissionem gratiæ
Cornu salutis erigat vestræ duplex;
Ab hostium vos liberet sæva manu;
Et gratiosè visitet, quondam pij
Ut visitavit Abrahæ sociam tori;
Tandemq; jungat omnibus fidelibus,
Cum suave amicta cœlico quondam suo
Sponso obviam levi ibit aura Ecclesia.

Observ. c.

Johannes Prætorius P.L.C. & SS. Theol. Stud.

IX.

ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΪΑ ΓΑΜΙΚΗ quà Ecclesia, benè precans & D. Sponso, & Sponsæ, & sibi ipsi introducitur.

VErbo ac exẽplo, donec tibi verba supersunt,
Sis tibi Schultetus, sis tibi Christophor9.
Verbo ac exẽplo, donec tibi verba supersunt,
Sis mihi Schultetus, sis mihi Christophorus.
Sis sobole & clypeo, donec tibi verba supersunt,
Schultetus nuptæ Christophorusq; tuæ.
Simq; Dei verbo, dum spiritus hos reget artus,
Schultetusq; bonus, Christophorusq; pius.
Cætera linque Deo, qui conservarier omnes
Vult. Valeas, simul ac Elisabetha tua.

Non tam moris quam amoris & honoris ergò nolens volens adijcere commotus est.

Michael Myntzius Plagensis Marchicus Sponsæ fratrum hactenus Pædagogus domesticus.

FINIS.

